



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Autoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 236. Impotentia quid & quotuplex sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

TITULUS XV.

De frigidis & maleficiatis & impotentia coeundi.

Quest. 236. Impotentia quid & quomplex sit.

Resp. primò: Impotentia, de qua *h. t.* est inhabilitas vel ad generationem prolis, vel ad copulam carnalem; impotentia ad generandum dici solet sterilitas, & esse potest, etsi adsit potentia ad copulam; impotentia ad copulam est impotentia ad penetrandum vas fœmineum, effundendumque intra illud semen, si est ex parte viri; vel ad illud recipiendum, si est ex parte fœminæ. Potest hæc impotentia provenire vel ex natura seu ex causa naturali & intrinseca, *V. G.* in viro ex nimia frigiditate, dum ex defectu caloris naturalis semen emittere nequit, aut vas fœmineum penetrare, vel etiam ex nimio calore, naturâ præpropere & citius ad primum nimirum contactum fœminæ semen effundente extra vas muliebri, seu quin illud ad locum debitum perveniat, in fœmina verò ex nimia vasis naturalis arctitudine, adeoque ad recipiendum semen impenetrabilis, vel provenire potest ab extrinseco seu causa extrinseca & accidentaria, *V. G.* ex morbo vel ex maleficio diabolico, quod utrique sexui commune est, vel ex castigatione, quod viro proprium est.

2. Resp. secundò: Impotentia ad copulam carnalem alia est absoluta comparatione omnium personarum impediens copulam carnalem. Alia respectiva respectu determinatæ personæ tantum, qualis communiter est in maleficiatis, vel respectu aliquarum personarum impedit dictam copulam. Rursus impotentia alia est temporalis, quæ sine peccato aut gravi periculo seu damno corporis citra miraculum per opus humanum, seu ordinatâ, licita naturalia vel etiam spiritalia remedia tolli potest. *c. fraternitatis, h. t.* alia perpetua, quæ arte medica, aut sine miraculo per confueros Ecclesiæ exorcismos, aut sine peccato (quales sunt illicitæ incantationes) aut sine periculo gravi corporis tolli nequit. Hinc itaque illa est impotentia perpetua, quæ solo divino miraculo tolli potest; cum miraculum, utpote quod est præter rerum naturam, expectari nequeat. *Sanch. l. 7. d. 39. num. 8. Gutt. de mat. c. 112. n. 22. Castrop. d. 4. de Spons. p. 14. §. 1. num. 2.* Item quæ sine peccato tolli nequit, quia quod jure non possumus, id absolute non possumus, & sic impotentia non nisi per peccatum tollibilis censetur absolute intollibilis, adeoque perpetua. *Sanch. num. 9. Gutt. num. 23. Castrop. l. c. Laym. l. 5. l. 10. p. 4. c. 11. num. 1.* De cæterò quid intelligatur nomine periculi corporalis, ut exinde impotentia censetur perpetua, dubitatur unde sit.

Quest. 237. An nomine corporalis periculi intelligatur mors ipsa eiusve periculum, vel etiam periculum gravis morbi.

Resp. Intelligi non tantum mortem ipsam, sed & periculum grave mortis, ita ut, non tantum illa sit impotentia perpetua, quæ sine morte tolli nequit, ut voluit Innoc. *in c. fraternitatis, à n. 1. Jo. And. R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.*

num. 16. Butrio n. 22. & 23. &c. ed quòd, quæ cum periculo mortis tollitur, personam impotentem superstitem, dici non possit perpetua; cum ipso facto probetur durante vita tolli posse; sed etiam ea, quæ tolli nequit sine gravi periculo mortis; cum tale periculum mortis morti æquivalet; adeoque etiam ea censenda sit perpetua, quæ sine periculo gravis morbi inducentis periculum mortis tolli nequit; non verò ea, quæ tolli nequit sine periculo morbi inducentis solum gravem molestiam & dolorem, *Sanch. n. 18. Gutt. n. 28. Castrop. num. 4. Laym. l. c. cum gl. in c. fraternitatis. v. corporali.* Porrò dum medici dubii sunt, an ex medicamentis & remediis adhibendis ad tollendam impotentiam periculum mortis subsit, illud subesse censendum, ait *Castrop. n. 5. Gutt. n. 27. & Sanch. n. 15.* Atque ex his jam inferunt iidem AA, cum *Paludan. in 4. d. 34. q. 2. a. 2. concl. 2. n. 2.* quòd, si iudicio medicorum impedimentum removeri potest per opus humanum licitum, & pariens renuat curationem, vel etiam non teneatur illam admittere, non censendam impotentiam perpetuam; cum impedimenti hujus perpetuitas non pendeat ex voluntate patientis illud, neque ex eo; quòd tollatur, vel non tollatur; sed ex eo, quòd spectatâ naturâ tolli vel non tolli possit absque vitæ periculo.

Quest. 238. An censenda impotentia perpetua, dum fœmina scit, non posse se absque manifesto suæ aut prolis vitæ periculo concipere.

Resp. Negative cum *Sanch. cit. d. 93. n. 27. & 28. Gutt. n. 17. Castrop. n. 13. Pich. h. t. n. 5. contra Henriq. l. 12. de mat. c. 7. n. 8.* ed quòd hæc impotentia sita sit in eo, quòd fœmina talis licitè vacare non possit copulæ, ad quam de cæterò apta est, sitque solum pro tempore, quo apta est conceptio, & evenire possit tempus sterilitatis, quòd licitè potest vacare copulæ, adeoque non sit perpetua. Sed neque ex eo, quòd fœmina talis moraliter, sive sine peccato non possit obligare se ad reddendum debitum pro eo tempore, quo durat illud periculum vitæ ex conceptione subeundum, irritum est matrimonium; cum ad ejus essentiam non requiratur, ut conjuges se obligent ad reddendum debitum pro quovis tempore, sed sufficiat, ut obligent se ad illud, cum legitimum impedimentum abfuerit, ne aliàs affectus morbo, quo impeditur reddere debitum, dicatur habuisse impotentiam perpetuam, & validè contrahere non potuisse; unde etiam illud sequi videtur, ne quidem teneri eam abstinere à matrimonio contrahendo, ut *Pich. n. 5. citans Cönnick. d. 31. de Sacram. du. 7. n. 86.* cum contrahendo matrimonium non aliter se obliget ad reddendum debitum, quam pro tempore, quo illud licitè reddere potest, quamvis tamen sub peccato gravi mulier contractura hunc sui defectum aperire teneatur, de quo infra; quin & licitè reddere eam posse debitum, dum sine periculo vitæ suæ creditur proles edenda mortua, utpote cui per hoc non fiat injuria; cum id fiat præter intentionem conjugum utentium jure suo, *confer Pich. l. c. cum Cönn. n. 85.*

Quest.

Q